



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Theologi nostri varie hos Patres ab hac opinione defendunt. c. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Nazianz.
cum Massil.
non sentit.
Ad Rom. 9.

esse ex nobis, nec in eo quis gloriari possit, sed ex Deo esse præcipue, & ideo dictum putat. Non est volentis, &c. sed Dei misericordis. Quæ eius expositio, tamen Augustinus nobis indicat mentem ipsius fuisse, nostrum velle non esse solius liberi arbitrii, quod nostro instituto satis est. Quam vero longe absit Nazianz. à Massilien. sententia, indicat doctrina quam tradit eo loco: nam aptitudinem naturalem ad virtutem, quæ unus interdum magis, quàm alius pollet, comparat filicem, quem, ut ignem producat, opus est ferro percuti. Excitari autem ad virtutem cogitatione, veluti filicem ferro in qua cogitatione, & excitatione, Augustinus gratiam agnoscit, quam Deus in nobis sive nobis operatur. Eodem sensu Prosper & ipse per omnia Augustinianis in libro contra collatorem cap. 12. alia virtutis similitudine his verbis. Nec propria virtute ad principia salutis exiit, sed agit hoc occulta & potens gratia Dei, quæ dimotis terrenarum opinionum, & operum mortuorum suis illis torrem obruit cordis exagitat, & desiderio veritatis inflammat. ut non inuitum hominem subigat, &c. Vbi nostram naturam, & bonam indolem comparat torri ignito, quia flammam boni desiderij, aut initij non elicit, nisi spiritu gratiæ Dei excitetur.

47.
Hilar.

Secundo Hilarius etiam in eadem Massilien. sententia videtur convenire in Pl. 18 in illa ver. Inclina cor meum, &c. Vbi sic ait. Est ergo, cum à nobis oramus, exordium, ut minus ab eo sit, deinde quia de exordio nostro minus est eius. ex nostro tunc est, ut exquiratur & obvineatur & maneat. Vbi saltem videtur asserere initium ex nobis esse orationem, nam in reliquis omnibus priores partes tribuerat gratiæ eodem loco. Ceterum Hilari. aperte loquitur de homine non ex viribus propriis solum operante, & orante, sed iam gratia aliqua præuento ad orandum. Nam in ea verba eiusdem Pl. Ne auferas, à me, inquit, Omnia vult à bonitate sua inchoare, &c. Ideo autem, exordium orationis dixerat esse ex nobis, quia oratione innumera Dei dona consequimur, & ita nos quodammodo exordimur, obtinendo, & impetrando ea, tamen non sine Dei gratia ad orationem ipsam moueamur. Nam, quid oremus, sicut oportet, nescimus. Spiritus autem postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus ad Rom. 8.

Ad Rom. 8.

Ambros.

Amb. verb.
explicantur.

Nota.
Isai. 63.

Ad Rom. 10.
48.

Conc. Araus.
secundum.

Tertio idem asserere videtur Ambr. libr. 2. de Abrahamo cap. 10. inquit enim: Talem te ergo præbe bonis studiis & prompta fide, ut Deus tui misereatur, & vocet te, sicut Ecclesiam vocauit. Palam factus sum querentibus me, apparui ijs qui me non interrogabant. At vero hæc omnia recte explicari possunt: neque enim ad primam gratiam, & misericordiam dixit Ambrosius nos ex nobis incipere bonis studiis & prompta fide; nusquam enim fides ab Ambr. nostro tribuitur arbitrio: intelligit ergo ad vberiorē gratiam, & misericordiam consequendam nos debere iam alla priori excitatos, bonis studiis, & prompta fide inchoare. Obiter id obseruandum est, illud testimonium. Palam factus sum querentibus me, non esse affirmatiue, sed cum negatione legendum: sicut allegat etiam Paulus. Inuentus sum à non querentibus me. Consonant autem verba sequentia; Apparui ijs, qui me non interrogabant. Ex quo loco Concilium Araus. secundum can. 1. damnat sententiam Massilien. qui dicebant, in uocatione huiusmodi, id est, ex propriis viribus gratiam Dei obtineri

&c. Refertur etiam Ambr. serm. 10. in Psal. 118. sed in eodem sensum verba ipsius explicari possunt. Mitto ea, quæ ex commentariis Ambrosii. in Paulum adduxi disput. 89. cap. 3. ibi enim sine dubio Massilien. ad stipulatur, sed commentarij illi à multis Ambrosii non esse, creduntur.

Quarto in eam sententiam refertur Hieronymus lib. 3. aduersus Pelag. in prim. vbi sic habet. Et tamen hoc scito, baptisimum præterita donare peccata, non futuram seruare iustitiam, quæ labore, & industria, ac diligentia, & semper super omnia Dei clementia custoditur, ut nostrum sit rogare, illius tribuere, quod rogatur nostrum incipere, illius perficere: nostrum offerre, quod possumus, illius implere, quod non possumus. Sed frustra Hieronymum inter reliquias Pelagianorum commemorare conabimur, qui tribus illis libris tam acriter contra Pelagium inuehitur, ut in primo lib. expresse asserat, gratiam Dei necessariam esse per singula opera, inter quæ numerat minima quedam opera virtutum moralium; lib. ergo 3. cum dicit, nostrum esse incipere, & offerre, quod possumus, non intelligit sine gratia Dei, sed postquam gratia iam sumus excitati: Dicit autem Dei esse perficere, & implere quod non possumus, quia multa deinde offert nobis ad perfectionem eorum, quæ incepimus, quæ in sola Dei manu posita sunt.

Quinto posset pro opinione Massilien. allegari Optatus Mileuitanus libr. 2. contra Parmenianum, qui haberetur in 2. tom. Biblioth. sacre. Vbi expresse opus cans illud. Si dixerimus quod peccatum non habemus, &c. inquit. Est Christiani hominis quod bonum est, velle, & in Deo, quod bene vultur currere: sed homini non est datum perficere, ut post spacia quæ debet homo implere, resset aliquid Deo, vbi deficienti succurrat, quia ipse solus est perfectio. Quibus verbis eodem modo concedit, homini datum esse bonum velle, & currere, quo etiam negatum est perficere: sed perficere solum negatum est homini ex propriis viribus: ergo eodem modo concessum est incipere, & velle, & currere. Nam si de homine gratia Dei præuento loquamur, etiam concessum est ei opus inceptum perficere.

Verum optatus à sensu Massili. longius abest: sequentibus enim verbis satis explicat, se loqui de ea perfectione, quæ nullum admittit peccatum, non de perfectione operis iustificationis, & perseverantia, de quo loquebantur Massilien. De illa vero perfectione, quæ nullum admittit peccatum, inquit, homini in hac vita non esse concessam, etiam gratia Dei, sed solum bonum velle, & illud operari. Idcirco inquit, Christum non dedisse perfectam sanctitatem, sed illam promississe, ut futuram, & in alio sæculo donandam. Cum ergo dixit, hominis Christiani esse bonum velle, & illud operari, non de nudo arbitrio, sed de Christiano iam instructo fide, & donis Christi intellexit. Huic enim datum est gratia Dei velle bonum, & currere, seu illud operari: eam perfectionem attingere, quæ sit absque ullo peccato, nec gratia Dei hominibus sanctis (excepta B. Virgine) in hac vita concessum est.

CAPVT IX.

Theologi nostri varie hos Patres ab hac opinione defendunt.

Inter Theologos nostri temporis non desunt qui sententiam horum Patrum aperte defendere

dere conarentur, de quibus sequenti c. dicemus. Nonnulli etiam cautius loquuti opinionem tueri non audent, sed auctores in bonum sensum interpretantur; quorum defensiones, ut veritas magis elucescat, in hoc capite breuiter referemus.

Primo ergo Driedo tractatu 2. de captiuit. & redemptione gener. huma. cap. 2. p. 4. non longe à fine, Faustum Regien. ab hac nota vindicare conatur, cum tamē cap. 1. p. 2. hanc doctrinam, quam ipse putat absurdam, plane tribuat Cassian. Hic tamen auctor, alioqui eruditissimus, manifeste deceptus est. Tū quia antiqui, & doctissimi Eccl. Patres huius falsæ doctrinæ, quam retulimus, Faustum Regiensem aperte inuolunt, ut ca. 11. referemus, Petrus Diac. qui eo tempore vixit. Hormisdas Papa Ioan. Maxen. Idorus, & Ado Vien. Tum etiam quia eius libri de gratia, & libero arbitrio id passim ostendunt, in illis præsertim locis, quod d. 89. c. 4. allegauimus. Quinimo seuerius in ea re loquitur, quam Cassian. nam ipse necessarium esse existimat, hominem semper incipere, ut gratiæ Dei auxilia ipsi conferantur. At Cassian. vt cap. illo 4. notauimus, concedit, Deum aliquando incipere, & gratia sua nos præuenire. Quod si Deus inciperet aliquando, non dubitaret Faustus asserere id, quod 2. lib. cap. 6. contra August. dixit, & supra retulimus disp. illa 89. cap. 1. Deum videlicet tunc magis vi iure dominantis, quam ordine regentis.

Hac de causa dixit Petrus Diac. vt ca. 11. referemus, inter eos, qui similia Pelagio sapiunt, scilicet Semipelagianos, se præcipue anathematizare lib. huius Faust. Cur ergo Driedo potius Faustum defendit, quam Cassianum.

Ceterum mentem Faust. Driedo sic interpretatur, vt solum contra Lucidum Presbyterum libertatem nostram adstruat, & tueatur, sed gratiæ dignitati non derogat. Vt enim constat ex præfatione illorum librorum Faust. de gratia, & libero arbitrio, Lucidus ille ex locis aliquibus Aug. male intellectis libertatem nobis ex Dei prædestinatione auferebat. Ego vero non dubito, hanc fuisse huius auctoris mentem, quam ipse in præfatione illa explicauit. Sed cum Massili & aduersarij Aug. imo & Chrysost. probare niterentur, Deum non præuenire nostras voluntates gratia sua, quia si præueniret, vis aliqua humano infertur arbitrio, vt c. 12. videbimus & ex verbis Chrysost. recitatis c. superiori patet, eadem etiam via, & ratione Faust. contra Lucidum nostram libertatem tueri voluit, vt indicant verba illius ca. 6. citata.

Ex quibus omnibus & iis, quæ d. 89. c. 1. retulimus, colligere licet, Tritemium virum alioqui sollicitum deceptum plane fuisse, dum de hoc Faust. Regien. asserit, prius quidem Pelagian. fuisse, deinde vero à Fulgentio ad veram fidem reuocatum, atque idcirco in gratiam illius duos libros de gratia, & libero arbitrio edidisse. Nam in primis Faust. alias quidem pius, & religiosus de monasterio Litrensi, nunquam fuit plane Pelagian. li. enim illo t. a. c. 1. vsque ad 6. & c. 14. eleganter contra Pelagium necessitatem gratiæ probat; sed fuit de reliquis Pelagiano, sicut Massilien. & Cassianus, qui Semipelagiani dicti sunt.

Porro autem Faustum ea de causa, quam putauit Tritemius, non scripsisse libros illos, patet: nam in multis locis iam citatis initium aliquod ex nobis concedit, vt auxilia gratiæ conferantur

Et asque, in 1. part. Tomus I.

nobis contra doctrinam manifestam Fulgentii libro de incarnatione & gratia, & aliis in locis, quos cap. 11. citabimus. Tum etiam, quia cum Petrus Diac. suam fidem, & Orientalium Patrum Romæ contra hos Massilienses esset professus, scripsit de ea librum de incarnatione & gratia, ad Fulgentium, in quo ca. 8. damnat huius Faust. libros prædictos, quod in eis labori humano subiugeret gratiam. Fulgentius vero in libr. de incarnatione & gratia, quem ad Petrum rescripsit nomine suo, & totius Africæ, doctrinam ipsius Petri approbat: nusquam vero Faustum ab hac nota defendit: vnde dicat, si illum ab errore conuertisset, & in gratia ipsius Fulgentii libros illos Faust. composuisset: sequeretur enim in omnibus Fulgentii sententiam, qui omne initium gratiæ Dei tribuit, & oppositum, vt errorem damnat.

Secundo Henricus Cuius annotationibus in Cassianum, annotat. 2. excusat Cassianum in libro saltem 12. de institutis cœnobiiorum, cap. 11. 12. 13. & 14. vbi videbatur initium aliquod nobis tribuere. Eo quod à c. 10. vsque ad 19. commendat mirum in modum gratiam contra Pelagium, asserens irritos esse conatus nostros, nisi gratia Dei adiuuentur. Nam collatione 13. Cheremonis, vbi aperte Cassianus hanc tradit doctrinam, eum non defendit Cuius: alioquin, & Prosperum, qui illam doctrinam impugnat, tanquam falsum calumniatorem damnalet. Videbatur ergo Cuius Cassianus bene loquutus de gratia, neque eo loco concessisse initia ex nobis, quæ in collatione illa nostro tribuit arbitrio, quod assereret nostros conatus irritos esse, nisi omni momento fulciamur in bono, & quod tam honorifice de gratia loqueretur.

Sed certe leuissimum est hoc argumentum. Nam Cassianus, & alii de reliquis Pelagianorum semper honorifice, de gratia loquuntur contra Pelagium, ad promouendos conatus nostros: at vero ad excitandos, & inchoandos nō docent esse necessariam: imo vero ex nobis solum incipere affirmant. Quod si aliquando dicat Cassianus, irritos esse conatus: nisi à Deo fulciamur in bono, & eius gratia præueniat nos, nihil ipsum excusat. Nam & Semipelagiani initium etiam boni operis concedebant ex Deo esse, vt disp. 89. c. 5. vidimus, nihilominus errabant, eo quod inter opera, quorum initium in Deum referebant, non numerabant fidem, nec bonam voluntatem, & hanc nostro arbitrio tribuebant, vt ad cætera Deus gratia sua præueniret.

Porro nos incipere non solum desiderio, fide, & oratione, sed etiam aliquibus operibus, docet idem Cassianus lib. illo 12. cap. 14. nam postquam ca. 13. multa bona opera, & conatus nostros enumerauit vigiliarum, lectionis, solitudinis, ieiuniorum, & remotionis, subiungit. Sed plane constantissime non mea, sed seniorum sententia definit, perfectionem quidem sine his omnino cap. non posse, his autem solis sine gratia Dei posse à nemine consummari. Vt enim dicimus conatus humanos apprehendere eam per seipsos sine Dei adiutorio non posse, ita pronuntiamus laborantibus tantum, ac defudantibus misericordiam Dei gratiamque conferri, & v. verbis Apostoli loquar. volentibus & currentibus impartiri. Et paulo post. Dicimus enim, secundum Saluatoris sententiam, dari quidem petentibus, & aperiari pulantibus, & a querentibus inueniri, sed petitionem & inquisitionem, & pulsationem nostram, non esse condignam, nisi misericordia Dei id quod petimus dederit.

Bbb 3

rit,

vis, vel aperuerit, quod pulsamus, vel illud, quod quarimus fecerit inueniri. Presto est namque occasio sibi tantummodo à nobis bona voluntatis oblata ad hac omnia conferenda. Vbi etiam obserua, pulsationem non esse idem, quod orationem: nam, vt ait auctor imperfecti super Matth. apud Chrysostomus homil. 18. ille, qui non solum orat, sed bonis operibus se exercet, se habet sicut qui non tantum voce ad ianuam alicuius clamat, sed manu etiam pulsar, vt audiatur. Hic vero auctor cum Massiliensibus sentiebat, vt patet ex illa homilia, & 32. Cassianus ergo lib. illo 12. aperte sententiam expressit, quam postea in illa collatione docuit, & omnes Massilienses sequuti sunt. Eisdem enim fere verbis illam tradidit collat. 13. cap. 9. quibus etiam ab eo mutatis damnatur in Concilio Arausicano secundo, can. 6. quinimo in illo lib. 12. seuerius loquitur. Asserit enim, gratiam Dei solum dari quæritibus, pulsantibus, & laborantibus, at in illa collatione 13. c. 12. 13. & 15. concedit, quod Dei gratia interdum non præueniat, & nos interdum gratiam Dei, vt disp. 89. c. 5. notauit.

Doctrina
Cassian.
damnatur
in Concilio
Arausicano
secundo.

Tertio Sixtus Senen. lib. 5. Bibliot. sanctæ, annot. 101. Chrysostomum benigne interpretatur, vt nihil deroger gratiæ præuenienti, sed verba illius refenda sint non ad gratiam præuenientem, sed ad subsequenter, quam Theologi vocant habitualem, ita vt hæc detur nobis petentibus, & laborantibus oblata iam Deo promptitudine. & occasione nostræ voluntatis: vel certe intelligatur de auxiliis gratiæ subsequenter, quæ ad perficiendum, quod incepimus dantur nobis iam volentibus, & vt diximus disp. 88. c. 10. Sed certe verba Chrysostomi, quæ retuli cap. præcedenti, hanc interpretationem non patiuntur, cum plane ille fateatur, quod Deus suis donis non præueniat nostras voluntates, sed à nobis sit incipiendum. Quod si Chrysostomus in ea fuisset sententia, vt existimaret gratiam Dei primas partes in nostris operationibus obtinere, & ea nos excitari ad omne bonum initium, & opus inchoandum, nec vllum initium ex nobis dari, cui gratia donaretur, non aliter sensisset Cassianus: hic enim Chrysost. præceptorem potissimum in Oriente habuit, suamque sententiam doctrina omnium aliorum Patrum Oriental. libenter correxisset.

Chrysostomus
excusat Six-
tus, sed non
melius.

54.

Neque obstat, quod Chrysost. homil. 38. ad popul. Antioch. & 12. in epist. ad Corinth. dicat, omnia merita nostra, fidem, & virtutes ex Deo nos habere, & illius dona esse; hoc enim omnes Massilienses dicebant: solum autem errabant, quod aliqua initia horum nobis tribuebant, tamen si aliqui fidem etiam ex nobis esse dicerent, in hac enim re varij fuerunt, vt disputat. illa 89. c. 5. prædictum est. Cæterum merita vitæ æternæ. & virtutes consummatas, & perfectas Semipelagiani Deo, & gratiæ ipsius tribuebant, & hac de causa Iulianus & ipse in hac parte Pelagianus, contra quem Aug. scribit, idiplum asserere videbatur. Cuius sententiam 4. lib. cap. 3. sic Aug. impugnat. Cum ergo diuinitus adiuuatur homo, non tantum ad capeßendam perfectionem adiuuatur quod ipse posuisti vtrique volens intelligi, cum posse incipere sine gratia, quod perficit gratia. Vt enim cap. præcedenti, & cap. illo 5. notauit, hæc erat Semipelagianorum communis sententia, & loquendi modus. Conatus nostri irruunt, nisi adiuuentur. Contra quos optime Bernard. in libello de gratia, & lib. arbitrio ita dicit: Liberi arbitrij conatus ad bonum cæsi sunt, si non gratia Dei adiuuentur, & nulli, si non exciten-

Iulian. idem
cum Massi-
liens. sentit,
quem Aug.
impugnat.
Semipela-
g.

Bernard.

tur. Vt concludat gratiam tam ad incipiendum, quam ad perficiendum necessariam esse.

Obiicit aliquis August. qui lib. de gratia Christi, c. 64. benigne interpretatur Chrysost. quem auctoriarius Augustini pro se allegabat. Respondet ibi alia de re disputari, nempe, an homo possit esse sine peccato. Explicat autem Augustinus Chrysost. quod dixisse videatur, id posse fieri, vt intelligat, per gratiam Dei, sicut alios Latinos Patres supra etiam explicauit. Et sane ita de Chrysost. credendum est: neque enim ipse, aut Semipelagiani vquam contenderunt, non posse per vires nostras sine peccato viuere, sed solum ex nobis initia quædam præbere. vt iam notatum est.

Neque incredibile alicui videatur, Patres Græcos tantæ auctoritatis, & doctrinæ in hac fuisse sententia, siquidem Massilienses, & per Galliam tot etiam insignes viri in eadem opinione fuerunt. Res enim admodum subtilis, & difficilis erat ad explicandum, donec Aug. ingenij sui felicitate, vt multa alia; eam nobis explicauit. Quod si Græci Patres, qui à Massiliensibus contra sententiam Augustini allegabantur, inter quos dulcissimum non est, Chrysostomum referri, eo quod Cassiani magister in Oriente fuerit, nihil in hac contra Aug. sensissent: facilius ipse Aug. sic obiicientibus respondisset, eos Patres frustra contra suam sententiam allegari, qui nunquam contrariam docuissent. Atqui ipse alio modo responderet, vt ex seq. perspicuum erit. Nam Proßer in epist. ad Aug. quæ est ante liberos de prædest. sanct. de Massiliensibus ita scripsit. Et cum contra eos scripta beatitudinis tua validissima, & innumeris testimoniis diuinorum Scripturarum instructa proferimus, obstinationem suam resistere defendunt, vt ea quæ de epistola Apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem diuinæ gratiæ præuenientis electorum merita proferuntur, à nullo vquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, vt nunc sentiuntur, asserunt. Et Hilarius in epist. ad eundem Aug. Et hoc inquit, non solum aliorum Catholicorum testimoniis, sed etiam sanctitatis tue disputatione antiquiore se probare testantur: nempe, quod Massilienses non solum aliorum Patrum auctoritate, verum etiam scriptis ipsius Aug. quæ dum Presbyter esset composuit, suam sententiam confirmarent.

Ad hæc autem Aug. non dicit, eos Patres nunquam oppositum suæ doctrinæ docuisse, sed plane concedens, eos in contrarij fuisse sententia, lib. illo de prædestin. Sanctior cap. 14. modeste respondet his verbis. Quid igitur opus est, vt eorum sententia opuscula, qui prius quam ista hæresis (scilicet Pelagiana) oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendum questione versari. Subdit vero in fine capitis. Quæ circa non debent fratres nostri (intelligit Massilienses) qui nobiscum pro Catholica fide perniciem Pelagianorum impugnant, huic Pelagiana in tantum fauere opinioni. Quod autem ipse Aug. presbyter docuerat, cap. 4. eiusdem libri, & primo retractat. cap. 21. retractauit. Imo post episcopatum contrarium semper docuit, vt ibidem admonet, & patet ex lib. 1. ad Simplician. quæst. 3. quem primum post episcopatum conscripsit.

Mitto expositionem aliorum, qui Patres Græcos explicare nituntur de electione ad gloriam, vt asserant ex meritis gratiæ homines electos fuisse, non autem de electione ad gratiam ex meritis at- trij: hanc enim non esse mentem Græcorum Patrum disput. 89. c. 4. & 8. notauit. Mitto etiam alio-

rum recentiorum expositionem, quam disp. seq. cap. 2. referam; ex dictis enim satis impugnata manet.

Postremo posset aliquis contendere. Patres Græcos nunquam Massiliensium sententiam docuisse. Nam Massilienses non ferebantur, gratiam Dei donari ad singula opera, quæ ad nostram iustificationem preparant: cum concederent ex nobis aliqua bona initia, propter quæ gratia ad iustificationem nobis conferretur. Deinde dicebant, gratiam ex aliquibus meritis in tempore dari, & in præsentia ex eisdem de finiri: at Patres Græci ignorare non potuerunt, hos esse manifestos errores, nam utrumque coram eis in Concilio Palæstino Pelagius retractauit, ut constat ex epist. apud Augustinum 90. 95. 105. 106. & 107. & ex actis illius Concilij, quæ in vetustissimo codice monasterij Cassinatis habentur, ex quo omnium errorum retractionem, quam ibi fecit Pelagius, ego transcripsi.

Respondeo primum nos non asserere, omnes Patres Græcos in sententia Massiliensium fuisse, sed Chrysost. eiusque discipulos, tum etiam Orig. & paucos alios, quos commemorauimus. Chrysost. autem non interfuisse Concilio Palæstino, manifestum est. Nam licet sub Innocentio primo fuerit celebratum post Concilium Milenitanum, ut constat ex epist. Aug. 106. & illi potuissent Chrysost. interesse: quia tamen Concilium illud fuit solum provincie Palæstinæ, ut scribit Aug. in epist. citat. & epi. 105. & 107. celebratum vero Diospoli, teste Hieronymo epist. 79. præsidente autem Ioanne Episcopo Hierosolymitano, ut narrat Paulus Orosius in Apologia pro libertate arbitrij, parum à principio: plane colligitur Chrysost. aliosque Bithyniæ Episcopos ei non interfuisse. Potuerunt igitur alij Patres, qui aderant, bene instructi esse contra Pelagium, ut suos retractaret errores, vel eo præsertim, quod Paulus Orosius, ut ipse affirmat, Concilio interfuerit, qui doctrinæ Augustini contra Pelagium admodum erat addictus; etiam si Chrysost. & alij cum Massiliensibus in prædicta sententia fuissent.

Deinde dico, errorem Pelagij longe distare ab opinione Massiliensium. Hi namque minimam quādam rationem meriti impetratorij, & disponentis concedebant, ut obseruauit disput. 89. ca. 4. at Pelagius merita arbitrij condigna esse existimabat, ut gratia nobis ad facilius operandum concederetur: sicut etiam dicebat, nos posse ex propriis viribus condigne gloriam promereri: tamen August. lib. de præd. Sanctor. ca. 2. conuincat Massilienses erroris Pelagij, quem ille in Palæstino Concilio retractauit, nimirum gratiam secundum merita nostra dari, quod assererent, initium credendi ex nobis esse, sed consummationem ex Deo. Ideo autem eos conuincit, quia iam aliquod meritum esset ex nobis in illo initio fidei, quod ex nobis concedebant. Id quod licet recte sequatur, existimo tamen Pelagium maiorem rationem meriti ex nobis docuisse, à quo Cassianus, quod caput fuit sectæ Semipelagianorum, cum veller declinare, concedens ex nobis initia aliqua lib. 12. de institutis cenobiorum, c. 11. & 12. dixit merita nostra non esse condigna, ut Dei gratiam compensare possint, sed gratiam Dei miseratione diuina propter illa merita nostra nobis concedi. Ceterum ex Massiliensium & Cassiani sententia optime sequi-

tur, aliquod ex nobis meritum esse, quod vere tollat rationem gratiæ, licet non sit condignum, ut cap. 15. fufius monstrabimus.

Quod vero Pelagius dixit in Concilio Palæstino, ad singula opera necessariam esse gratiam, de quibusnam operibus loqueretur, utrum de quouis initio, an de meritis iam consummatis, & operibus perfectis, non omnibus confessum, & apertum est. Quamuis de singulis tentationibus vincendis, & superandis plane intelligat Paulus Orosius opus. cit. ut l. 2. q. 1. c. 9. art. 2. & 4. latius videbimus. Et quidem si de singulis operibus, etiam quæ esse possunt initia iustificationis, Pelagius loqueretur, Patres illi Palæstini non potuissent ignorare, siue gratia Dei non posse nos inchoare aliquid, quo ipsam Dei gratiam ad perficiendum obtineamus. Sed hoc non probat, ut dixit Chrysost. in opinione Massiliensium non fuisse: quia constet ipsum huic Concilio non interfuisse.

Adde etiam, Patres illius Concilij non bene instructos fuisse contra Pelagium, ut colligitur ex epistolis August. citatis. Cum enim Pelagius retractasset illos errores, & affirmasset gratiā Dei per singula esse necessariam, in suo nihilominus permansit errore: nomine enim gratiæ intelligebat donū creationis, & arbitrij. Patres vero quod nondū bene aduertissent, de qua gratia Pelagius subdole loqueretur, putantes eam gratiam intelligere, quæ in scripturis cōmendatur, & per Christum nobis conceditur, eius retractionem admiserunt. Debuerant autem Pelagium interrogare, & an de gratia internæ inspirationis, & sanctæ cogitationis intelligeret ea, quæ dicebat, hæc enim est gratia per Christum: nam donum creationis non est per Christum, nec est illa gratia, quæ in scripturis commendatur, & quam Catholici contra Pelagium defendere nituntur. Quid ergo mirum, si Patres Græci, qui cum Pelagio parum disputauerant, non tam exacte de gratia senserint, sicut Augustinus, qui longo tempore bellum cum ipso Pelagio, eiusque reliquiis felicissime sustinuit?

CAPVT X.

Scholastici etiam nonnulli Massiliensibus reipsa consentiunt, licet de prædestinatione verbis aliud inducant.

Cum Cassiano, & Massiliensibus non pauci Scholastici reipsa conveniunt; hi autē sunt, qui aliquam dispositionem, & præparationem ad iustificationem ex nostro lib. arbit. esse affirmant. Atque primum Scotus in 4. d. 14. qu. 2. §. De secundo. Gab. qu. 1. art. 2. circa fin. & in 2. dist. 37. q. 1. art. 2. concil. 4. & art. 3. dub. 4. & in 3. d. 27. q. 1. art. 3. dub. 2. proposit. 2. & Caieta. tom. 1. opus. tractatu 4. q. 1. qui asserunt, posse hominem dolere de peccatis propter Deum super omnia dilectum ex propriis viribus, & hanc esse vltimam dispositionem ad gratiam habitua- lem iustificantem, & meritum ad illam, non quidem condignum, sed congruum: atq; hanc contritionem posterius natura informatam gratia habituali esse iam meritoriam de condigno regni cœlorum. In eo solum differunt, quod Scotus dicit non statim, sed paulo post fieri iustificationem, continuata cōtritione illa per aliquod breue tempus: Gabriel vero & Caieta. in eodem temporis momento fieri, asseuerant, atque se ab errore longe abesse arbitrantur, quod non concedant meriti-

Pelagius, Basil. Pal.

Nis omnes Græcos Patres Massilienses am- plius fuisse Chrysost. & alios Concilio interfuisse

Paul. Oros.

57.

Pelagij erro- rem longe à Massiliensibus re ipsa

Massiliensibus re ipsa consentiunt, licet de prædestinatione verbis aliud inducant.

Cum Massiliensibus re ipsa consentiunt, quæ vltimam dispositionem ad gratiam ex nobis concedunt.

Pelagius.

Orosius.

58.

Patres Concilij Palæstini non sunt affecti mentem Pelagij in sua retractione.

Gratia nomine Pelagij donum creationis & arbitrij intelligitur.

Nota.

59.

Scotus, Gabriel, Caietanus.

Cum Massiliensibus re ipsa consentiunt, quæ vltimam dispositionem ad gratiam ex nobis concedunt.